



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Ethicè.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

ton c. 10. Talis C. Caligula, cujus votum erat, unam ut cervicem populus Romanus haberet, quam unico ictu dejicere posset. Talis Phocas Orientalis Imperii inuasor, cui in animo erat omnes e medio tollere, in quibus nobilitatis, aut gloriae, aut prudentiae indicium esset. *Niceph.* lib. 18. c. 55. anno Ch. 602. Talis *Ezelinus*, barbaro potius quam Italico solo dignus Tyrannus, qui XII. millia civium Patavienorum ad unum omnes uno compulsos loco necari iussit. *Iovius.* Talis Wenceslaus Imp. & Bohemiae rex, cui perpetuus comes carnifex & suppliciorum minister; quo tam familiariter utebatur, ut etiam filium ipse de S. fonte levavit. *Dubrau.* lib. 23. Taceo Phalarides, Busirides, Diomedes, Mezentios & mille alios. Quibus omnibus crudelitatis monstris non defuit suus Vlysses, qui ultionem sumpsit, & ingurgitam cruoris humani tabem revomere coegit.

## SYMBOLVM LXX.

Vlysses Circae triveneficae incantamenta solvit,

14. *Metamorph.*

Ethicè.

I. Mutatio hominis in bestiam. 2. Illecebrae voluptatis mala.

**C**ircae, Solis & Perseidis Nymphæ filia, Ætæ, Colchorum regis soror, veneficiorum peritissima; Sarmatarum rege, cui nupserat, veneno sublato, regnoque per scelus parto, cum crudelius imperaret, ab incolis pulsa, in Italiam profugit, & in Circae monte sedem sibi delegit, *Scyllam* puellam in monstrum marinum transmutavit: *Picum*, Latinorum regem in avem sui nominis, alios in alias bestiarum formas vertit. Regiam inhabitabat splendidam, & medio in luco sitam, locum, omnibus delitiis affluentem. In primo limine hospites occurrebant variae belluæ, sed cicuratae, lupi, ursi, leones, canum instar eos adulantes. Post hos sese ferebant obviam, & adventores per atria marmore strata deducebant rara venustate Nymphæ; donec ad interiora veniretur. Ibi in conclavi ornatissimo, sublimis in throno, in aurea veste, & palla fulgida sedebat venefica, ad omnem humanitatem composita. In cujus ubi conspectum hospites venere, mox ipsa prior salutare,

salutare, frontem in lætitiã diffundere, & ad votorum audaciam invitare. Simul in humanitatis ac benevolentia tesserã, in aureo poculo *malsum* propinare.

Quod ubi hauserunt advenã, singulorum verticem magica virgã leniter contingebat. Et ecce subitam Metamorphosin ! mox enim fetis horrescere cœpère comites Vlyssis, in porcorum figuras abire, grunnire, harãque petere. Elapsus est unus, cui nomen *Eurilocho*, qui subodoratus maleficium, respuit poculum, de clade sociorum certiorẽ fecit Vlyssẽ. Hic cum herba *moly* in amuletum à Mercurio jam antè accepta, ad Circen contendit ; porrigentem medicatum scyphum, conantẽque caput ejus virgã illã portentificã permulcere, stricto gladio repellit ; nec antè minari ac terrere desistit, quã ipsa maleficium solvit, & socios in pristinã formã, statũque restituerit.

### Ethica.

I. (a) Decantata est hæc fabula, & nota malæ voluptatis imago, quæ blanditiis velut delinimento quodam dementare mortales, & in bestias transformare solet. Hæc, ut Dio Chryostomus loquitur, non gladiis, non hastis, non bipennibus, neque sagittis homines impugnat : sed luxu, deliciis, epulis, illecebris, mollitiẽ inescat, decipit, effeminat, liquefacit, enervat.

(b) Innuit etiam fabula, eos mortalium in bestias verti, qui nequaquam ratione ducuntur : sed totos se dedunt turpibus affectibus, nihilque hominis præter nomen habentes, in pecudum naturã degenerant : puta libidine in urfos, spurcitiã in sues, ferociã in leones, voracitate in lupos &c. Quid autem Vlysses, qui neque venenatum poculum ori admovit, neque à monstrifica virgã se tangi passus est, nisi firmum illum & constantem sapientis habitum significat, qui neque frangi terroribus, neque blanditiis, aut pravorum affectuum illiciis ab honesto potest abduci?

II. (c) Agnosce voluptatis vitia irritamenta. Primum est *Forma*. Nam Circe amabili quodam fulgore radios è vultu vibrabat, & intuentes in amorem trahebat ; quam ob causã *solis filia* dicta est. Sapientis monitum est Proverb. 6. *Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, nec capiaris nutibus illius.* Hebraicè, palpebris volantibus & vibrantibus, sicut sol vibrat radios, & nubes fulgura. Iynx avicula, quæ

Fff

à collẽ

- (a) Mutatio hominis in bestiam. (b) Vicia mutant hominem in bestiam.  
(c) Illecebra voluptatis prava.

à colli versura *vertika* & *torquilla* dicitur, intuentès in sui amorem rapere fertur, & quasi dementare. Teste Pierio Hierogl. lib. 25. c. 51. Prima castitatis labes ex oculis ducitur. *Alterum* invitamentum libidinis in ædibus Circes, *Cantus* fuit, de quo Maro. 7. Æneid.

Dives in accessos ubi solis filia lucos

Affiduo resonat cantu.

Sunt enim post oculorum illecebras (quas meretricius veneficæ & ancillarum ornatus ac aspectus accendit, proximus ad flagitium gradus, lascivæ cantilenæ.

Tertium irritamentum, suaves odores. Pergit Virgilius:

----- tectisque superbis

Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Etiam per nares Venus subit, & in suavissimis unguentis *Camerina* fœtentis Cupidinis latet. Juxta epigrammatarium.

----- Non bene olet, qui bene semper olet. lib. 2.

Quartò accedit his illicitis *otium*. Ovidius de Ostiariis Circe Nymphis.

----- quæ vellera motis

Nulla trahunt digitis, nec fila sequentia ducunt.

Quintò quid dicam de tectis superbis, de mensis, de lectis, de rebus omnibus ad decipiendum dispositis? Et quid aliud quàm Circen, seu noxiam & lascivam voluptatem repræsentat, illa apud Regium paramiographum *mulier garrula & vaga, ornatu meretricio preparata ad capiendas animas*. Audi quibus lenociniis insidias paret. Nam apprehensum (sunt verba Salomonis Proverb. 7.) *deosculatur juvenem*, & procaci vultu blanditur dicens: *Intexui funibus lectulum meum* (id est, ut molliùs cubes fasciis & institis subtentis lectulum suspendi) *stravi tapetibus plectis ex Ægypto* (id est, picturatis, & ad oculos pascendos ad tactum recreandum factis) *aspersi cubile meum myrrha, & aloë, & cynamomo*. Quid aliud egit Circe? ut Vlysem caperet, blandum arietem? *Veni inebriemur uberibus, fruamur cupitis amplexibus; donec illucescat dies*. Hic prodit se impudentia prostibuli, & palàm cupiditatem obscœnam solvit. Ita miseros decipit voluptas, & ex hominibus efficit bestias. Experti sunt Vlyssis socii. Quid, quòd Vlysses ipse, quamvis initiò generosè restiterit, tandem inescatus sit. Nam si Homero credimus, veneficæ amoribus irriteritus, annúmque integrum in illa Circes

la Circes regia versatus, denique filium suscepit, Telegonum nomine; qui, quod fieri solet, parenti non tantum probro & decori, sed etiam exitio fuit. Quid enim ex vipera, nisi venenatus partus nasceretur? Cave quisquis es, *Calicem aureum meretricis Babylonia*. Jerem. 51. veneficium pro beneficio porrigit. Soporiferum Circes poculum non absimile videtur illi assassinorum paradiso, de quo Paulus Venetus lib. 1. c. 28. Orient. histor. In Persidis regno tyrannus quidam, Alaodinus dictus, Muletam regionem occupavit, multosque sicarios, quos dixere Assassinos hoc actu sibi adjunxit. In valle quadam amoenissima, & præruptis cincta montibus paradysum omni deliciarum genere, qualem suis Mahometes promittebat, instruxit. In eum locum, oblata soporiferâ potione, dormientes deferendos curabat. Experrecti, cum omnibus deliciis affatim fruerentur, revera se in paradiso fuisse credebant. At præstigiator ille, capta opportunitate, medicato poculo sopitos, rursus extra paradysum efferebat, eos, ad omnia, quæ imperabat, patranda paratissimos postea habiturus. Quid aliud facit voluptas? quæ hominem ubi semel falsis deliciarum illecebris captum extra se posuit, & in cœlo quodam imaginario collocavit, deinceps ad abiectissima quæque mancipium habet.

## SYMBOLUM LXXI.

Vlysses Sirenium cantus spernit.

*Homerus Odyss. lib. 12*

Ethicè.

Blanda Libido etiam heroës sternit.

Sirenium fabulam jam alibi exposuimus; hinc satis erit apponere laudes, quas Venusinus Vates de Vlysse canit epist. 2. lib. 1.

Rursus quid virtus & quid sapientia possit,  
Utile proposuit nobis exemplar Vlysses:  
Qui domitor Troiæ, multorum providus urbes,  
Et mores hominum inspexit: latumque per æquor  
Dum sibi, dum fociis reditum parat, aspera multa  
Pertulit, adversis rerum immerfabilis undis,  
Sirenium voces, & Circeæ pocula nosti:

Fff 2

Quæ